Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 395
Quelle:
Copyright:

His ſucceſſit *Bindus* ſive *Bydo* noſter *Diſtinctionibus* ſuis *Exemplorum*, ✠. 1390. et demum illi ſubpar et ejusdem Ord. *Antonius de Rampegolis* ſeu *Rampelogis Januenſis* ſuis *Bibliorum Figuris*, quarum initium: *De Abſtinentia. Caſtigo corpus meum* &c. Jam, ut ad Noſtrum redeamus, illi quoque lis, ut *Hanapo*, mota fuit; extat enim Opus ejus impreſſum *Venetiis* 1556. 16. titulo *Virtutum*, *Vitiorumque Exempla ex V. et N. T.* tributumque *Vgoni Card.* contra fidem Codicum *mſſ.* quos enumerat *Oſſingerus* in *Bibl. Auguſtin.* p. 135. in quorum tamen uno alteroque Librarii ignoto *Bindi*, Sancti in *Hetruria* culti, nomine offenſi pro eo *Bernardum*, aut *Bernardinum* ſcripſere. Quin et illud notandum, in Editione mox dicta Prologum ab iisdem verbis incipere, a quibus incipit *Hanapi* Prologus: *Tanta pollet excellentia praedicationis officium* &c. verum dein in omnia alia abire. Non agnoſcit *Codex* noſter hunc Prologum, ſed continuo poſt ſupra memoratum *Capp.* Elenchum incipit: *Abſtinentia eſt meriti augmentatiua, Sapientie aquiſitiva, Religioſitatis oſtenſiua, Carnis refrenatiua, Victorie imperatiua* &c. et in fine Indicem alphabeticum Rerum ſubnexum habet.

II. *fol.* 96. *Incipiunt concordantie biblie diſtincte per quinque libros.* Non igitur notae illae alphabeticae, ſed Effata biblica methodo non ſatis expedita ad certa Capita moralia in uſum Homiletarum revocata. Adſcribam ex Indice praevio cujusvis *Libri* materiam, quae rurſus in plures *Partes* ſubdividitur. Itaque I. *agit de bijs que pertinent ad deprauacionem primi hominis.* II. *de bijs que pertinent ad reuertentem ad Deum.* III. *de vicijs que pertinent ad bene pugnantem et ſuccumbentem bello ſpirituali.* IV. *de bijs que pertinent ad perfectum virum.* V. *de diuerſis perſonis.* Ratio Operis haec eſt, ut citato Libro et Capite biblico prima Textus verba adſcribantur. *Fol.* 174. p. 2. accedunt *Themata* praedicabilia *in aduentu domini*, et ſic deinceps per anni circulum pro Feſtis Domini et SS. et ad diverſa Auditorum genera, quos inter *Clauſtrales*, *Moniales*, *Viventes ſolitarie*, *Peregrini*, *Leproſi.*

III. *fol.* 183. *Incipit tabula auctoritatum et ſententiarum Biblie poſitarum in libris decretorum et decretalium quottatarum ſecundum ordinem alphabeti Johannis kaldrini Decretorum Doctoris.* Initium: *Seriem huius tabule continentis* &c. Prout *Vol.* I. P. 1. *Cod.* CLXXX. indicatum. In praeſenti Exemplo ad calcem habetur: *Explicit tabula &c. Anno Domini M° CCCC^mo Quinquageſimo Quinto cetera laus Deo pax viuis requies eterna defunctis Deo gratias.*

IV. *fol.* 267. Index realis, praecipue Nominum propriorum, in univerſa Biblia hoc initio et fine: *Aaron a quibus progenitoribus naſcitur. Exo. VI. Zebedei filij vocantur a domino.* Nota tamen duplicem eſſe hunc Indicem, alium V. alium N. T.

Ad